



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. LIII. Aliquæ reuelationes de felici eius morte & gloria: & auxilia
spiritualia ab ipso etiam post mortem præstita

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

*ALIQVAE REVELATIONES
de fœlici eius morte & gloria: & auxi-
lia spiritualia ab ipso etiam post
mortem præstita.*



VONIAM mors Iustorum pre-
tiosa est in oculis Dei, quorum
vult perpetuam esse memo-
riam; ideo rem ita dirigit, vt fi-
delibus innotescat, quam præ-
clarus locus in æterna gloria sit
illis datus. idque facit modò
per particulares reuelationes; modò per mira-
cula, aut insignia alia opera, quæ eiusdem rei sint
indicia: & ita diuina eius Maiestas voluit Sancti
huius viri mortem; & quàm illa in ipsius ocu-
lis fuerit pretiosa, reuelare eodem, quo obiit,
die.

S. I.

AD id faciendum elegit idem Dominus ciui-
tatem Burgensem, ex qua facilè potuit in tota
Prouincia Castiliæ diulgari, in qua adeò erat
notus, tantiq̃ue fiebat. Ibi erat, quædam ancilla
Dei (ex ijs quas Beatas sancti Francisci appel-
lant) insignis poenitentia, & magnæ Orationis,
in qua magnos à Deo accipiebat fauores, etiam
rerum futurarum reuelationes, quæ ita omnino
eueniebant, sicut illa dicebat; & interdum vo-
cem quandam audiebat, iubentem aliqua per se
ipsam facere, quæ semper erant valdè vtilia, &
quorum magnam habebat coniecturam, quod à
bono

bono spiritu iuberentur. Hæc ergo, cum die quodam Orationi vacaret, audiuit sibi dici: veni, vt inter sis morti cuiusdam fidelis mei serui. Et tunc rapta fuit in spiritu ad quendam egrotum; vbi vidit circa eius lectum multos viros Ecclesiasticos, magnum splendorem ex se ipsis emittentes, & cum illis magnam Angelorum multitudinem. Postea ingressi sunt quinque alij in habitu Ecclesiastico, sed cum maiori gloria & splendore, quam priores; quorum vnus claram adeò & splendentem habebat lucem, vt ipsa cogitaret, eum esse Christum D. N. sed monita est, non esse. Hic ægrotum per manum dexteram accepit, & erexit; alij verò quatuor ad eius latera, & reliqui circumcirca: qui simul cum Angelis animam eius in cælum magno cum gaudio & musica deduxerunt; duo verò ex Angelis apud corpus remanserunt, vngentes, & thurificantes illud. Quæ Beata, cum solennes adeò exequias vidisset, animæque adeo gloriosum ascensum, existimauit esse quendam Episcopum in Italia, magnum Dei seruum, quem illa valde reuerebatur ac diligebat: sed reuelatum eidem est, non illum esse, sed Prouincialem Societatis Iesu Prouinciæ Toletanæ. Statim autem post hanc visionem, (quam vt diximus eodem die habuit, quo P. Balthassar obiit Belmontij,) venit illa, vt eam suo Confessario referret, Patri, scilicet Christophoro Riuerio viro verè Sancto, prudenti, magnique spiritûs, qui & postea fuit huius Prouinciæ Præpositus Prouincialis, qui sollicitè examinavit, quæ illa retulerat; & quando nuncius venit de morte P. Balthassar, facta omnium circumstantiarum collatione inuenit,

uenit, de eodem esse accipiendam hanc reuelationem. Et cum eadem illa Beata post annos aliquot Vallis-Oleti, (quò se contulerat) interrogata à P. Francisco Salcedio, è nostra Societate, eiusdemque S. Patris ex Fratre nepos: quomodo res gesta esset? illa respondit: se id in quodam suo libello scripsisse, in quo alias notabat gratias & fauores, quas Christus D. N. exhibere illi consueuerat, quarum rationem suo Confessario reddebat: & postquam accepisset hanc, in qua vidit animam illam cum tanta gloria ad cælum ascendisse, se non posse eius obliuisci: quin quotidie eidem se commendaret; & postea se intellexisse, illum fuisse P. Balthassarem Aluarium. Quare, benè perspectis omnibus huius reuelationis circumstantiis, sanctaque eius, cui illa facta est, vitâ; cui similes gratias Deus aliquando faciebat; & quæ postea aliam etiam habuerit de morte & gloria sanctæ matris Theresæ de Iesu; & denique quòd ille felicem habuerit suæ peregrinationis exitum; meritò haberi potest certa talis reuelatio; & quòd sancti de cælo, & Angeli ipsi, quibus Sanctus hic vir in hac vita piè valde fuit additus, venerint, vt illum in morte honorarent. & siquidem vir ille magni splendoris non erat Christus D. N. piè credi potest fuisse Patrem nostrum sanctum Ignatium, cuius Pater ipse Balthassar erat filius; aut gloriosus Apostolus sanctus Iacobus, in cuius die festo diem suum ille obibat; aut aliquis alius, erga quem specialem habuisset deuotionem.

S. MATER THERESSA de IESU cum Metinæ intellexisset sancti huius viri mortem, non se po-

se potuit continere præ dolore à lacrymis ultra horam integram fundendis; nec ullus potuit eam consolari, quæ interrogata, cur, quæ reliquas huius mundi res tam parui faceret, adeò hanc sentiret? respondit, fleo propterea quod sciam, quantum noceat ac porro nocebit Ecclesiæ sanctæ Dei huius eius serui mors; & post hæc mansit in raptu sive ecstasi ultra duas horas: quid eo tempore viderit aut gestum fuerit, non dixit; scimus tamen, illam sapius retulisse reuelationem, quam vndecimo capite posuimus, de excelso sanctitatis gradu P. Balthassaris in terra viventis; ac de ingenti gloria, ad quam erat prædestinatus in cælo. Et ego intellexi ex quadam fidei famula Dei eidem Sanctæ matri valde deuota, nostræque Societati piè addicta (de cuius veritate ac virtute magnam habeo certitudinem ac securitatem) quòd cum ipsa esset valde semel afflictæ, apparuerit sibi gloriosa & sancta illa mater, multis annis post suam mortem: quæ, vt ipsam in sua afflictione solaretur inter alia multa, hæc verba consolationi ipsius valde accommodata, dixit: & ego sum filia Societatis, habuique in ea Confessarium, quem nunc in cælo & agnosco & veneror. Est autem certum, illam intellexisse P. Balthasarem Aluarium: nam etsi prius alios habuerat: hic tamen diuturnior fuit, ipsamque magna cura præ alijs iuuit, ad præcella sua desideria executioni mandanda; & de quo ipsa gloriabatur, quòd confessarium & Magistrum eum haberet. Cum igitur dixerit, se illum nunc in cælo recognoscere, ac venerari: signum est, eum occupare ibi locum & sedem adeo eminentem, atque

que ipsa vidit, cum adhuc in terra degeret.

Et quamvis hæ reuelationes magnum adferant solatium: quod tamen certiores ac securiores nos reddit, quod illæ sint veræ, est quidquid hæctenus in huius historiæ progressu retulimus. Talia enim opera; tales virtutes, quales retulimus; talis charitas erga proximos; talis humilitas in opprobrijs; talis patientia in calamitatibus; talis conformitas cum Dei voluntate in rebus omnibus; talisque modus orationis adeo continuatæ, testimonia sunt in eo gradu certitudinis, quæ in hac vita de lege ordinaria haberi potest certa & firma, quòd fruatur Deo, qui talia fecit; in quibus vsque ad mortem perseverauit. præcipuè cum multo plura facere, ac pati optasset, quàm fecerit, & passus fuerit. propterea S. Ioannes ait, se vocem de cælo audiuisse dicentem: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit spiritus, (cuius verba idem sunt atque facta) vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Hæc ipsum coram Deo, Angelis, & sanctis eius honorant: & licet miracula desint, opera tamen ipsa, quæ prodigiosa satis sunt, eorum vicem supplent; suntque testimonia Sanctitatis certiora, quàm alia miracula, quæ etiam improbi ad confirmandam fidem, quam profitentur, licet non ad ostendendam virtutem & sanctitatem quæ carent, edere aliquando possunt. Nec tamen desunt in hac historia res aliquæ raræ, ac prodigiosæ, ita viro huic sancto concessæ ad utilitatem aliorum, vt simul fuerint quasi præmium suorum laborum, & mediâ ad maiorem in virtutibus progressum: quæ-

Apoc. 14. 13.

Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit spiritus, (cuius verba idem sunt atque facta) vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Hæc ipsum coram Deo, Angelis, & sanctis eius honorant: & licet miracula desint, opera tamen ipsa, quæ prodigiosa satis sunt, eorum vicem supplent; suntque testimonia Sanctitatis certiora, quàm alia miracula, quæ etiam improbi ad confirmandam fidem, quam profitentur, licet non ad ostendendam virtutem & sanctitatem quæ carent, edere aliquando possunt. Nec tamen desunt in hac historia res aliquæ raræ, ac prodigiosæ, ita viro huic sancto concessæ ad utilitatem aliorum, vt simul fuerint quasi præmium suorum laborum, & mediâ ad maiorem in virtutibus progressum: quæ-

quale fuit donum Contemplationis, cum fructibus adeò raris, ac exquisitis, atque superius sunt narrati, scientia illa spiritus ei infusa; & Theologia ad Officium suum præstandum necessaria; cognitio occultorum cordis; prophetia & reuelatio rerum futurarum & absentium, quibus donis Deus illi indulget, & honorauit in terra: hæc inquam omnia certa satis sunt signa & pignora bonorum æternorum, quibus nunc etiam eum honorat, eique indulget in cælo.

§. II.

SEd præter hæc voluit Dominus noster, eundem Patrem post mortem suam talia facere opera, quæ confirmarent ea quæ viuens præstiterat; & sanctitatem ac gloriam, quam pro eis obtinuerit. nam (vt ex Sacra scriptura deducitur) sancti, qui in cælo sunt, non deponunt curam eorum, quos sibi commissos habuerunt in terra: sed potius, cum habeant puriorem charitatem, sintque semper in Dei conspectu, eum pro illis orantes; suis orationibus pro ipsis impetrant gratiam, & auxilia, quibus indigent, vt constantes esse, & crescere in bono possint, quod illis in hac vita persuaserant. Ad quod confirmandum facit, quod secundo libro Machabæorum refertur de duobus Illustribus Sanctis antiqui Testamenti, *Onia* summo sacerdote, & *Ieremia* Propheta, quod eleuatibus manibus multum orarent pro populo Israei; & sanctus Petrus Apostolus fidelibus, ad quos scribebat secundam Epistolam, scripsit: *dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis, quæ scilicet*

2. Machab.
15. 12.

2. Pet. 1. 15.
Ita O Ecu-
menius &
Græci, Bel-
fermo-

Qq.

*Iarm. lib. de
cultu San-
ctorum c. 18.*

sermone eis prædicauerat, vt inuisibiliter conti-
nuaret Officium, quod præsens & corporaliter
erga illos fecerat. Hoc autem idem disposuit di-
uina maiestas, vt faceret P. Balthassar, cui ad eò
cordi erat zelus adiuuandi animas sibi commis-
sas, vt etiam post mortem idem præstiterit offi-
cium, illas adiuuans in earum tribulationibus, &
animans ac extimulans ad perseuerandum in
bene cœptis.

IN TER has personas primum locum dabo D.
Annæ Enriquez, cuius suprâ facta est mentio, Do-
mina nobilissima & valde spiritualis, & aduersis
rebus valde exagitata, æquè vidua, atque cum
eius vir esset superstes. Hæc eò quod esset sancto
illi viro valde piè addicta; postquam intellexit
eius mortem, & experta est auxilia, quæ tunc per
ipsum accipiebat, scripsit quandam omnium re-
lationem his verbis, (aliquibus tamen omis-
sibus breuitatis causâ.)

C V M intellexissem morbum P. Balthassar
Aluarij Vallis-Oleti, contuli me in die Transi-
gurationis Domini ad Professam Societatis Do-
mum Confessionis & Communionis causâ; & vt
intelligerem aliquid de eius Patris morbo; cum-
que mortuus iam diceretur; ad eò graue mihi id
fuit, vt exprimere non possim; eò quod multum
de meo solatio, & leuamine amiserim, quod ab
eo habui tempore, quo recens relicta sum vidua,
valdeque afflictâ: & quamuis aliquæ personæ,
huius rei consciæ, conabantur me consolari: ni-
hil me earum rationes mouebant. Incubui illa
nocte ita tristis: mane verò satis tempestiue eui-
gilans, Sancti huius Patris fui memor: ex cuius
memo-

memoria statim diffusa est magna in animam meam lætitia, quæ res valde fuit mira: tum propter meam ordinariam constitutionem, tum propter talem occasionem, & tam repente, & me nihil ex parte mea adhibente; sed interius tamen multis rationibus mihi persuadebatur, vt non essem aded tristis ac desolata; quæ persuasio fiebat cum quadam suauitate & iucunditate maxima: & breuissimo tempore multa mihi innotuerunt, quæ faciebant obmutescere defectus illos, qui ob eius absentiam in mente mea versabantur: quos intellexi reparari velocioribus ad cælum cursoribus, quàm sint qui in terra cum magna festinatione mittuntur; & expeditiores ab omnibus periculis: simul enim significabatur, etiam seruos Dei, in terra non sine magnis periculis & incommodis inter se inuicem communicare. Nec satis assequi possum, qua ratione, me tam prope esse viderem ei, quod sensui aded procul esse videbatur: vt mirum omnino esse videretur, tantam autem concepi consolationem, antequam è lecto surgerem: vt quamuis tristis esse vellem, non possem. Ea consolatione & animi tranquillitate toto illo mane in templo Societatis, & tribus proximè diebus potita sum. Et ab ea hora videbar mihi, Patrem illum ad latus meum habere, non solum imaginariè, sed quodam alio modo dissimili. Tribus his diebus elapsis, licèt ego cuperem idem sentire, non tamen poteram: sed interius valde eius memoria delectabar, sicut etiam dum viueret & absens esset, aliquoties comitem se mihi exhibebat iucundissimum & purissimum, magis, quàm si præsens omnino fuisset; quamuis hoc

Qq 2

uis hoc

uis hoc non erat, quoties ego optabam.

POST annos aliquot 17. Nouemb. Anni 1587. pridie sancti Gregorij Thaumaturgi, cum in magnis internis angustijs fuisset, cœpi quadam nocte aliquos Psalmos orare: & quatinus versus aliqui, quandam cordis teneritudinem in me excitarent, grauis mihi tamen erat solitudo; dolebamque quòd non haberem aliquam personam, cui sensa mea, interna iuxta votum ac desiderium meum, aperirem: & sic hæsi, quasi stupore affecta, facie ad parietem versa. Dixeram ego ante paucos dies cuidam familiari animæ meæ, quæ P. Balthassarem nouerat. O quanti ego facerem, si possem nunc cum isto Patre colloqui! cumque hoc adeo esset procul, ut accideret; ex inopinato inueni me apud illum: quem licet corporis oculis non viderem, sentiebam tamen propè ad dextrum latus meum comitem mihi se præbentem iucundissimum. Experiebar in eo maiestatem quandam cum familiaritate & humanitate coniunctam; & occurrebant menti meæ multa eorum, quæ dum viueret mecum loquebatur, idque tam clarè & apertè atque cum viueret; & simul sentiebam eius spiritum: loquuta sum de rebus præteritis & præsentibus tenerrimè. Quod cum illo tunc transegi, & rationem ac modum eius colloquij non potero, nec sciam exprimere. Videbatur, non loquens mihi respondere; meque consolari, ac docere, & offerre se ad me iuuandam. Loquutus sum de meo Confessario, & alijs rebus: & experiebar illum erga me valde benignum; & eius conspectu tranquillitatem redire, cessante tempestate illa, quæ me valde cruciabat. Plurimarum

rum rerum lucem nihil loquens mihi adferebat,
& explicabat spiritualem familiaritatem, & amicitiam, quam mecum habuerat: & videtur mihi, quod ipse videret, & lustraret totam animam meam. Dixi ei, mi Pater, nihil mihi dicis? & visus mihi est, signum quoddam versus cælum fecisse, quasi me eò impelleret, ac statûs illius amplitudinem mihi innueret: & hoc me plurimùm permouit. Cognoui eius sanctitatem, & quàm seriò Deo D.N. seruiuisset: dixi què illi, aliarum personarum vitas editas esse, & publicè haberi; & quid esset, quòd eius vita in silentio maneret? respondit mihi non verbo, sed modo, quem benè intellexi: non refert. Hoc insinuans, quòd ex tunc usque ad diem, quo omnia essent in lucem proditura modicum esse tempus, cum essent temporalia; & hac ratione magnum quendam odorem, & opinionem æternitatis mihi communicauit.

IN die etiam S. Andreæ fui in magnis tristitiæ angustijs, ob aliquod verbum mihi significatum; & cum hac afflictione ad sacram Communionem accedens, sensi sanctum hunc Patrem ad latus meum dextrum eodem modo quo nuper: & quamuis nec corporis oculis illum viderem, nec loquentem audirem, eum tamen sentiebam, & intelligebam. Loquuta sum illi; & ex tempore statim euauit nebula illa, quæ animam meam obnubilauerat; & sensi me tranquillitati restitutam, & animatam, videbar mihi tanquam patrimum eum habere, me docentem; & quando sacra hostia in Missa eleuabatur, eam què adorabam; sensi illum prope me magnam sanctissimo Sacramento reuerentiam exhibentem. Hæc omnia cer-

ta mihi visa sunt indicia ac testimonia, quod multum apud Deum valeat; eiusque maiestati placere per eum quasi visibiliter me adiuuare. Cumque ego gratias ei, agerem, quod mihi adeo tempestiuè adfuisset; fecit, vt intelligerem, id totum Deo deberi. Ex quo aduerti eius erga Deum fidelitatem, quam semper seruauit.

ALIA quoque valde fidelis Dei famula, satis nota, & pro tali habita, retulit, quod cum internam quandam in anima sentiret desolationem, recordata fuerit P. Balthassaris; & cum magno sensu ei dixerit: Pater, adiuua me: & paulò post visione imaginaria vidit eum ad latus suum dextrum iucundum ei exhibentem comitarum; & tunc ei dixisse: Pater mi, possibile ne est, vt cui tot bona præstitisti, beneque voluisti in terris; nunc in loco meliori existens mihi non subuenias? adiuua, quæso, me. Manebat nihilominus anima illa in sua tristitia ac desolatione, donec duo hæc verba interiorius audiuit, quæ ipsius esse iudicabat: *enitere ad perfectionem*: quibus illa leuamen sensit: & agnoscens necessitatem suam, sancti verò illius præstantiam, brachium extendit in eam partem, in qua eius præsentiam sentiebat, dicens: Pater, porrige mihi manum: & sanctus Pater illam porrexit; & vidit ipsa mediam brachij partem, eodem modo indutam, quo, dum viueret, esse solebat: arripuit illa Patris manum, & cognouit ipsa: hoc pignus esse fiduciæ, quam habere deberet, quòd esset voluntas Dei in ipsa, iuxta eius votum ac desiderium implenda. Et sic dulcis illa, iucundaque præsentia Patris euauit, non tamen viuax medij brachij vestiti ima-

go: cu-

go: cuius manum, vt dictum est, illa arripuerat.

QV I D A M Societatis Pater grauis, valde-
que doctus P. Balthaffari valde in vita familia-
ris, retulit, se in magnis ac paruis necessitati-
bus suis, tam spiritualibus, quam corporali-
bus Deo D. N. per merita huius sancti eius ser-
ui commendantem, inuenisse remedium ac le-
uamen, idque aliquoties: & præcipuè in re qua-
dam, quæ valde ipsum premebat, quasi miracu-
lum fuisse credidit remedium, quod accepit. Et
in alia afflictione, cum se eidem Patri commen-
daret, internum accepit responsum, quod in si-
milibus necessitatibus deberet ad beatissimam
Virginem recurrere; quod cum fecisset, se ma-
gnum sensisse adiumentum. Et iterum Belmon-
tij, cum idem faceret, submissam quandam eius
vocem audiuit; & quidem sententiæ, quam pro-
ferebat, initium fuit vox externa; sed finis, in-
terior, quasi inspiratio quædam. Nec sine cau-
sa voluit Deus D. N. omnia hæc signa & indi-
cia fuisse ad subueniendum & subleuandum per-
sonas afflictas; sed vt eadem opera manifesta-
retur, quantum donum & gratiam habuerit in
vita ad huiusmodi consolandas; & quam Deus
eidem communicauit, ad eos per eius in-
tercessionem consolandos, qui in
tuis afflictionibus id ab
eo petuerint.

* *
*

Qq 4

CAPVT